

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;
ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA", Apud BURNS AND OATES
—
VARSIAE POLONORUM VARSIAE POLONORUM LONDON W.
Rakowskie Przedmiescie, 15. Krakowskie Przedmiescie, 6 28, Orchard Street.

IN ANGLIA

Apud FRIDERICUM PUSTET S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.
AMERICAE SEPTENTR. NEW YORK CINCINNATI
52, Barclay Street. 436, Main Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.
RATISBONAE in BAVARIA

IN CANADA

MONTREAL
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

PIO PP. X in diem eius nominalem. — Ite ad Joseph.

Arthuriani Portus historia.

Colloquia latina. — Formulae salutandi et valedicendi.

De arte poetica ludicra, seu de poesi artificiosa.

Quantum praesidii a Graecis litteris ingenia mutuentur.

Elisabeth Iberorum Reginae centenaria commemoratio.

De Catholicae Ecclesiae Doctoribus in Lateranensi basilica effectis.

De Indorum veterum ascoetis.

De nosocomiorum origine.

**Diarium Vaticanum: Coram SSmo admissiones. — Pontificiae electiones. — Vita
functi viri clariores. — Varia.**

**Annales: Russici motus. — Iaponicum bellum. — Balkanica res. — Argentinae civitatis
seditio. — Varia.**

Publici per Orbem coetus legibus ferendis.

Aenigmata.

Libri recens dono accepti.

In secunda operculi pagina:

"Sociis et lectoribus Commentarii nostri humanissimis,..

In tertia operculi pagina:

Monitum. — Ieci. — Libri recens editi.

ROMA E

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCCV

Sociis et lectoribus

Commentarii nostri humanissimis.

Novo superveniente anno, quem VIII Vox Urbis inscribere gloriatur, non quidem, ut plerumque assolet, nova et magnifica promittemus; non enim sociis et lectoribus, qui constanter in itinere, neque eodem brevi atque expedito, nos comitati sunt, magniloquis verbis temerariisque promissionibus illudere opus est nobis, sed tantum ea adnotare quae in eorum veram utilitatem adducere constituimus.

Vox Urbis itaque in annum M DCCCCV ea erit, quam socii voluerunt: commentarium menstruum, qui non unum Urbis augustae matris sermonem, sed omnem cultum et humanitatem referat, eaque omnia quae inde, veluti ex radiationis centro, animos usque a longissimis orbis partibus amice cum genitricis animo coniungere valeant. Disputationes igitur, quae plerosque populos aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quaestiones suum locum apud nos hoc etiam anno convenient, atque simul nuncii, significaciones, et documenta, quae tum circa catholicam rem, quam tueri gloriamur, tum circa eventus peculiari nota dignos, in varietate quamquam, *simplex dumtaxat et unum* opus reddant nostrum.

Sed aliud quoque expediemus, quod non paucorum sociorum desiderium explebit; articulos scilicet in quibus, quasi in parva tabula, simplici eoque facili stylo, descriptionibus, narratiunculis, dialogis, argumenta vitae maxime communia tractentur, unde liceat colloquia latine inire atque alere. Ita finem illum supremum, ut latinus sermo universalis, prouti dicunt, reducatur, non modo obliviscemur, imo etiam propius prospiciemus.

* * *

Maiora vero comparavit administrator; qui non modo immutatum reliquit pretium subnotationis, quod est in Italia lib. 4, 80; ubique extra Italiam lib. 6, 25 (doll. 1, 25; sch. 5; march. 5; rubl. 3; cor. 6, 25); sed ad magis magisque commentarium vulgandum curis creditum suis rationes vere favorabiles cavit, quae sequuntur:

Si quis socios novos duos comparaverit, pretiumque eorum subnotationis miserit, subnotationem gratis omnino sibi habebit; eoque bono gauderi poterit ipse subnotator novus, qui, sua vice, eadem gesserit. Quum iste scilicet socios alias duos nobis acquisiverit, facultas ei erit non duorum pretium, sed unius tantum mittendi, atque alterum faciendi suum, ut pretio pro subnotatione iam ante misso sese resarciat. Neque eum pudor teneat novos

subnotatores de favore ipsi concesso aliquo modo certiores futuros: hi enim receptionis schedulam, veluti si pecuniam directe per se miserint, regulariter accipient. Haec una conditio, ut novi hi subnotatores intra menses duos, a propria cuiusque subnotatione recurrentes, requirantur, utque omnia ad Aristidem Leonori equitem (Romam in Italia, via Alessandrina, 87) recto tramite mittantur.

* * *

Quid plura?... Plura tamen administrator concedere sociis voluit, eaque paene incredibilia; id enim effecit, ut *VOX URBIS* socii e loco domicilii sui in Urbem, atque inde in domicilium suum reverti gratuito possent. Id iis paratum est — bibliopolis, uti patet, exceptis — qui ante Iulium mensem an. M DCCCCV sexaginta novas subnotationes collegerint earumque pretium integrum ad administrationem miserint. Societati itinerum notissimae Cook et Son munus commissum; ea, ubi primum a nobis certior facta erit, epistolarum commercium cum socio inibit, omniaque disponet ut is nullo impendio ab *Europae* loco ubi vivit Romam usque, atque Roma in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus, iter aggrediatur. Estne difficile nimis sexaginta socios novos comparari? En rursus benigne succurrit administrator: qui triginta tantum collegerit, dimidiatum pretium itineris habebit.

* * *

Sunt tamen qui eiusmodi curas negligent: num his praemium nullum erit? Atqui erit sociis omnibus, qui ante expletum Februarium mensem an. M DCCCCV debitum solverint suum; idque, more nostro, pulcherrimum: *imago heliotypice expressa metr. 0,32 × 0,45 Pium X Pontificem referens sacris ad solemnia indumentis ornatum atque benedicentem.* — Quod si denique socius tabulam illam maluerit metr. 0,22 × 0,45 iam in nostrum commodum unice superiore anno desumptam, ac Pontificiam dominationis auspicationem referentem a Pio PP. IX an. M DCCCXLVI peractam, quum exemplaria nonnulla apud nos sint adhuc, eam requirat, nosque, donec possibile erit, ei morem geremus.

* * *

Restat nunc ut sollicitudini nostrae sociorum favor in dies crescens respondeat.

Vox Urbis.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PREIUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra italiam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:

ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

PIO PP. X

IN DIEM EIUS NOMINALEM

ITE AD IOSEPH

« Ite — sic olim Pharao locutus
Accolis Nili sidentis —; ite
Ad meum Ioseph, neque vos oborta
Laedet egestas.

« Septies cheu! sterilis redibit
Annus Aegypto; meus at minister
Vasta, praesagus, veteri replevit
Horrea messe. »

Alter en Ioseph (Pius ille nuper
Maluit dici) prope Vaticanum
Excubat templum, meliora longe
Pabula nactus.

Veritas, Patris iubar increati,
Veritas, Christo radiante, terris
Orta ieunias valet una nostras
Pascere mentes.

Huius altricis, Pie, veritatis
Tu vigil custos; tibi namque Christus
Tradidit claves, reserare caeli
Horrea doctas.

Qua Fide vivunt homines superna,
Qua calent alma face Caritatis,
Qua Spei certa rapiuntur ala
Aethera versus;

Hac vigent per te, Fidei Magister,
Mysticae solers Moderator Arcae,
Quae suos nutrit, fovet et saluti
Reddit alumnos.

Hic enim virtus adolescit omnis,
Sanctitas morum nitet et perennes
Educat fructus, vel iniquiore
Tempore natos.

O fame pressi populi, vorantes
Dira pro sanis epulis venena!
Eia, vos vestri miserescat, escam
Quaerite tutam.

Innatans Tibi patet Arca vobis,
Quae famem nescit; tumidas per undas
Illa vos cursu vehet ad beatam
Auspice vitam.

FRANC. XAV. REUSS.

ARTHURIANI PORTUS HISTORIA.

PORTUS Arthuriani, qui nuper in Iaponiorum manus a Russis deditus in omnium ore versatur, non ante annum M DCCC LXX insigne duxit initium. Tunc enim, dum exardescit aestas, Tientsinio in portu seditio gravis in peregrinos quum flagraret, furens Sinensem multitudine Gallos monachos complures eorumque asseclas crudeliter enecavit, quum tamen ob exortum bellum Gallos inter et Germanos acceptam ulisci iniuriam Gallis haud licuerit.

Verum Sinensi imperatori suasum est, ut Tientsinianam urbem forti praesidio muniret, ne similes in posterum caedes orirentur; itaque Li-Hung-Chang, antiquum illum Sinensem Ulyssem sermone callidum pariterque virtute praestantem, legatum Imperator illuc misit; qui multos annos multa fortuna parique prudentia suam praefecturam quum gessisset, pacem et concordiam restituisset, militaribus curis animum deinde intendit.

Quas inter maximum eius opus Arthuriani portus munimenta et oppida fuerunt, quae per opportuna consiliarii eius ostenderant ad tutandum terra marique iter, quod Ta-ku ab urbe Pechinum attingit. Germanus quidam tribunus Von-Hanneken tormentariorum munitionibus exstruendis praefuit, quas multo sane impendio at multa pariter militari sapientia perfecit. Eam ob rem quum anno M DCCC LXXX IV Sinensem Gallorumque discordiae de Tonkiniano imperio iterum exarsissent, Courbet, Gallus ille classiarcha, Gallorum senatui denunciavit portum sese non occupatum nisi praevalidam classem exercitumque viginti millia hominum obtinuisse.

Li-Hung-Chang vero Iaponiorum gesta et conatus non fugiebant eorumque consilia de adipiscendo maritimo imperio percellebant satis. Pergit itaque portum munire quam optime, ut sit et suis classibus refugium et contra hostes maximum propugnaculum. Hac sapientia factum est, ut quum anno M DCCC IV Sinensem Iaponiorumque bellum indictum est, portus ille Arthurianus inoppugnabilis crederetur ab omnibus.



Nam una tantum via navibus patet eaque angusta satis, ad mille passus, cuius in fine, parvus hiatus ad dexteram sinus. Quum vero via vertit ad occidentem, ad maiorem portum ducit, qui in lacum ingentem longe lateque patet. Verum itineris angustiae et versutia praeceps perarduum faciunt navibus ingressum; tutiorum autem portum efficiunt colles, qui circumplexant urbem, fortissimis oppidis com-

muniti. Attamen, tot propugnaculis non obstantibus, Sinensium imbecillitate factum est ut brevi expugnatione tum portum tum urbem terra marique Iaponii superaverint et occupaverint. Confecto itaque bello, Liao-tungiana peninsula omnis ipseque portus una cum Mandchouriano litore usque ad Coreae limites ad Ya-lu flumen Iaponii obtinuerunt, factumque est ita, ut Coreana terra e Sinensium servitute manciparetur. At fructu victoriae paulum Iaponii usi sunt; vix enim signato pacis foedere Russi, pariterque Galli atque Germani, suam mediationem inter posuere, suadentes ut occupata terra Sinensibus redderetur; alias bellum secum esse gerendum. Quod quum Iaponii bello, quamquam viatores, fracti sustinere nequirent, aegro animo a victis litoribus recessere.



Auctores intercessionis huius praeceps Russi fuerant, quorum opera quum tantum esset Sinensibus partum beneficium, Sinensium gratus animus magnopere erga eos auctus est. Sed quum Iaponii quaesivissent ut desponsio saltem fieret nunquam portum illum Europae gentibus iri traditum, denegata omnino sponsio ita est, ut Iaponii Russorum consilia de portu quo vis pacto occupando satis intelligerent.

Re quidem vera, Li-Hung-Changus ille, quem Russica intercessio ab opprobrio acceptae cladis sospitaverat, eorum desideriis magis magisque servire coepit. Qui dum Transiberianam ferream viam deducunt, nova semper iura, Mandchouria in provincia, sibi acquirebant. Anno denique M DCCC XC VII quum Germani sacerdotes duo a populo Sinensi interfici essent, iacta alea est; Germani enim statim Kiao-Chiao litus, quod sibi ante iri traditum fuerant pacti, occupavere, statimque Russica classis portum Arthurum ingressa est. Anglicae naves, quae eam sequabantur, duae paulum ibi permanserunt; nam, Russis potentibus et minitantibus, statim amotae sunt; Angli enim Boericu bello implicati valde Indorum finibus timuerunt.



Paucis itaque mensibus post, portus Arthurus Russis est traditus, omnisque Liao-tungiana peninsula cum eo, traditumque ius ut Transiberiano ferreo tramite cum Karbin et Mukden urbibus coniungeretur. Hoc modo mediationis illius contra Iaponios sunt pactiones impletae; at data simul causa est tremendae seditioni quae a Boxers sicariis nomen habuit. Novissimi belli quantae inde causae surrexerint omnibus patet, apertumque est etiam quomodo post obsidionem diurnam et cruentissimam suum iterum ius Iaponii ulti sint, portumque illum iterum obtinuerint.

COLLOQUIA LATINA

Formulae salutandi et valedicendi⁽¹⁾.

CLAUDIUS. — Quandoquidem Latinitatis peritia multis partibus iamdiu factum est post-

(1) Ex opere IACOBI PONTANI, cui titulus *Progymnasmatum latinitatis* (Monachii MDCX). — Passim retractavit I. F.

quam me vincere coepisti, rogo atque oro, si commodum est, da mihi paulum operae.
ALBINUS. — Vel multum, si id rationibus conductus tuis. Nolo tibi ullum commodum in me claudier.

C. — Ut si quidquam aliud; ne dubitaveris. Sed hodie me a te institui peropto.

A. — Quid est illud unum?

C. — Tristissimum quum sit ita salutare factos obviam et in congressionibus: *Bonus dies, Bonus vesper, Bonum mane, Bonum serum*; itemque in digressionibus sub noctem, quum his verbis bene precari soleamus: *Fausta nox, Felix nox*, reddaturque idem responsus; iis autem formis loqui necessitas nulla cogat, latinisque auribus ingratissimum sit; quo pacto tum salutando tum valedicendo, sive quum in alicuius colloquium congressumque veniendum est, sive alicui scribendum nos geremus? Non enim latet solere te studium acerrimum ponere in notandis huiusmodi latinismis, quum inter legendum occurront.

A. — Haud equidem me tanto dignor honore. Nihilominus, quia tu hoc a me candide petis, et posse me tibi commodare iudicas, parabo voluntati tuae. Hoc tenebis primum, non semper opus esse responsione quum salutari, verum respondere aliquid aliud, quod ille libens ac volens audiat. Est quando salutationi quaestiuulae quaedam adiiciuntur, de valetudine praesertim; nonnunquam resalutantes etiam interrogantiuclam annectunt. Haec omnia exemplis declarabuntur; tu aurum te facito:

Salve. Resp. Salve.

Salve Ioannes. — Et tu, Paule.

Mysis, salve. — O salve, Pamphile.

Salveto. — Salveto; quid agis.

Salve, oculissime homo. — O dulcissime rerum!

Iubeo Chremetem (sub. salvere). — Salvus sis, Corneli.

O salve, bone vir. — Hem Simo. O nos ter Chreme.

Curculio exoptate, salve. — Salve, salvum te advenire gaudeo⁽¹⁾.

Salve, mi germane. — O soror mea, quid agitur?

Salve exoptate gnate mi.

Venire te salvum volupe est. — Credo, quid agitur?

Here, salvum te advenisse laetor. — O bone custos, salve.

Plurima salute Parmenonem suum imperit gnato.

O pater, pater mi, salve. — Salve multum, gnate mi. Ut vales?

Charmidem socerum suum Lysiteles salutat. — Dii dent tibi, Lysiteles, quae velis.

Amphytryo uxorem salutat laetus suam. Valuistin' usque? Expectatus ne advenio?

Salvus atque fortunatus, Euclio semper fies. — Dii te bene ament, Megadore.

O amice, salve, atque aequalis mihi; ut vales Ambrosi? — Et tu.

Salve, Gregori. Valen', valuitin'? — Valeo et valui rectius.

Mi homo, et mea mulier, ego vos saluto. — Et nos te.

Salve multum, exoptatissime mihi! — Salve etiam atque etiam amicorum optime!

In « Andria » Crito quum salutasset ancillam et ab ea fuisse resalutatus, subiecit secunda interrogatione: *Quid vos? Quo pacto hic? Satisne recte?* — *Nosne? Sic, ut quimus, aiunt, quando ut volumus non licet. Quaerebant etiam sic: Satisne recte?* Exempla sunt apud Livium. Quodsi denique quis queri velit quod insalutatum ab aliquo se videat eum his verbis compellabitur: *Non ego sum salutis dignus?* Vel potius ultra tacitus procedat, ne respondentem fortasse audiat: *Satis est mihi salutis tuae.*

C. — Habeo salutationum rationes. Nunc quibus verbis valedicendum sit quaero, quocumque diei aut noctis tempore.

A. — An potest ulli quidquam optari melius integra valetudine? Qua nihil maioris aestimandum vita humana complectitur. Itaque has fere formas invenio:

Vale. — Et tu bene vale.

In hoc quatriduum vale. — Et tu quam optime valeto.

Iam me tempus alio vocat: iubeo te bene valere. — Non te quidem diutius remorabor. Tibi quoque bene sit!

Cura ut sis prospera valetudine. — Tibi vicissim prosperam valetudinem precor.

Bene ambula et redambula.

Si autem ab illo qui discedit interrogatus fueris sintne quos tuo nomine velis per ipsum salutatos, haec usui tibi erunt:


Omnes qui de me percontabuntur.

Amicos omnes meis verbis salutato; mea causa salutabis diligenter; dic me omnibus omnia laeta precari.

Tu me parentibus tuis magnopere commendato; quam commendatissimum facias.

Nuntia meis verbis salutem; salutem dicito patri, matri et si quem alium benevolentem videris.

C. — Habeo tibi magnam gratiam; et tu igitur bene vale.



Vox Urbis Commentarius

procuratores quaerit, qui apud exteris gentes atque in ipsis Italiae civitatibus magis magisque ipsum Commentarium diffundant; iisque amplam pro laboribus mercedem solvet.

Itaque qui rem sibi sumere posse credant, ubique sint terrarum ad ARISTIDEM LEONORI equitem, VOX URBIS commentarii possessorem atque administratorem (Romae, Via Alessandrina, 87) scribant, qui sua vice commercium epistolarum cum ipsis inibit, atque de re omnes explicaciones suppeditabit. Iuvenes praesertim invitantur, qui latinam linguam callentes inde sedulitatis suae emolumenta percipere cupiant.



DE ARTE POETICA LUDICRA
SEU DE POESI ARTIFICIOSA⁽¹⁾.

Lusus in versibus.

L usus in versibus I° est quum in eodem carmine identidem repetitur aliquis versus, (*intercalaris* propterea dictus) ad astruendum sententiae robur. Duos huiusmodi versus inseruit Vergilius in Ecl. VIII. Ibi enim versum vicesimum primum:

Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus octies iteravit, mutato ultimo loco Incipe in Desine: deinde octies similiter versum septuagesimum secundum:

Ducite ab Urbe domum, mea carmina, ducite Daphnini repetivit. Etiam Catullus in carm. LXII versum quintum:

Hymen, o Hymenae, Hymen ades, o Hymenae iteravit novies; et in carm. LXIV versum tercentesimum vicesimum septimum:

Currite, ducentes subtegmina, currite, fusi repetivit decies. Item apud Ovidium in Amorum carmine illo, quod incipit:

Ianitor, indignum dura religate catena a versu decimo septimo ad quinquagesimum sextum in fine quaternorum distichorum recurrit pentameter hic:

Tempora noctis eunt; excute poste seram.

Et in epistola Deianirae (Her. IX) inter versus centesimum quadragesimum quintum et centesimum sexagesimum quintum post duo disticha interponitur hic pentameter:

Impia, quid dubitas, Deianira, mori?

Omittimus auctorem pervigilii Veneris, Martianum, Nemesianum aliosque qui eodem lusu sunt delectati.

II° Lusus in versibus est quoque quum aliquod verbum geminatur; item quum duae ultimae syllabae alicuius verbi et duae primae verbi consequentis consonant: item quum consonant ultima syllaba verbi prioris et prima posterioris. Versus his tribus modis perscripti echoicii nuncupantur. Exemplum echoicorum versuum prioris generis exhibuit Homerus (*Il.*, V, 31) ubi legitur: Ἀρε, Ἀρε, quem imitati Vergilius et Ovidius scripsierunt:

*Vale, vale, inquit Iolla
(Bucol., III, 79);*

*Dictoque vale, vale, inquit et echo
(Metam., III, 501).*

Exemplum echoicorum versuum alterius generis est in noto illo Ciceronis versu: *O fortunatam natam me consule Romam!* et apud Vergilium (*Aen.*, XII, 442) *telum immane manu quatens*, et apud Martialem (XII, 39) *Sabelle belle*. Exemplum echoicorum versuum tertii generis est apud Horatium (*Satir.*, I, 3, 121) *cum dicas esse pares res*, apud Vergilium (*Aen.*, II, 27) *Dorica castra*, et in hoc versu poetae ignoti:

Exercet mentes fraternalis grata malis lis.

Porro, versus echoici prioris generis non sunt improbandi: possunt enim aliquando dictionem corroborare. Sed non idem dicendum de ver-

(1) Cfr. num. sup.



S. Ioannes Crisostomus, Orientalis Ecclesiae doctor.
(Ex murali tabula DOMINICI TOSTI).

sibus echoicis secundi et tertii generis. Etenim Iuvenalis (X, 122) allatum Ciceronis versum ridiculum autumat, addens potuisse Ciceronem Antonii gladios contempnere: sic omnia dixisset. Quintilianus vero (IX, 44) praecipit aperte vindendum esse ne syllabae ultimae verbi prioris et syllabae primae verbi sequentis idem sonent. Et Servius de locutione Vergilii: *Dorica castra* ait: « Mala est compositio ab ea syllaba incipere qua superior finitus est sermo; nam plerumque ξακέψετον facit, ut hoc loco ».

III° Lusus in versibus est insuper quum, immota manente voce ultima, potest fieri idem versus multiformiter, ut hic Porphyrii:

*Aurea propagans Romanis saecula nato,
qui fit idem hoc modo:*

*Saecula propagans Romanis aurea nato;
et denuo:*

Saecula Romanis propagans aurea nato.

Sed exemplum mirum huius lusus est in carm. XXV eiusdem poetae his quattuor versibus expressum:

*Aurea componunt felices carmina Musae,
Dissona connectunt diversis vincula metris,*

*Scrupea pangentes, torquentes pectine vates:
Undique confusis constabunt singula verbis.*

Ibi, immoto manente quinto et sexto pede, ita possunt variari prima verba cum quartis et secunda cum tertis, ea permutando vel permiscendo, ut e quattuor versibus orientur septuaginta duo! Hic numerus exhibetur in editionibus Porphyrii.

IV° Lusus in versibus adhuc reperitur quum, loco motis tantum verbis, oritur versus diversi metri. Ex. gr. hic versus Phalecius Martialis (lib. X, epigr. 7):

*Nympharum pater amniumque, Rhene,
loco motis vocibus fit Sapphicus minor ita:*

Rhene, nympharum pater amniumque.

Et hic versus Sapphicus minor Horatii (Carm., I, 22, 2):


Non eget Mauris iaculis nec arcu,

loco motis vocibus, fit Phalecius sic:

Non Mauris iaculis eget nec arcu.

Lusus in carminibus.

Lusus in carminibus sunt *centones*: ea nempe carmina quae constant versibus, vel partibus



S. Ambrosius, Occidentalis Ecclesiae doctor.
(Ex tabula murali SALVATORIS NOBILI).

versuum ex alio poeta (ut plurimum Homero aut Vergilio) haustis centonico more, ita scilicet ut e variis locis sensu diversis carmen quoddam novum sensu novo exoriatur.

Sane pervenerunt ad nos centones multi, partim ad divinas, partim ad humanas res spectantes. Primis saeculis Christianis praesertim fuere qui in hoc lusu ingenium exercuere. E Graecis centonibus notus est *Christus patiens*, tragodia S. Gregorii Nazianzeni (ut putatur) ex Euripidis tragediis conflata. Eiusdem generis opus suscepit perfecitque Eudoxia, imperatrix Orientis, ex Homero depromens omnia verba ad describendum quoque Christum patientem in poemate bis millium tercentorum quadraginta trium versuum heroicorum. Apud Latinos, praeter *Medeam*, tragoidiam Hesidii Getae, e Vergilio depromptam, exstant Ausonii et Falconiae Probae centones. Ausonius carmen nuptiale, Valentino Valenti et Gratiano imperatoribus dicatum, e castigatissimo Vergilio descriptis; sed tot obscenitatibus refersit, ut opprobrium potius quam laudem mereatur.

Falconia Proba, matrona nobilis Ausonio coaeva, e Vergili pariter vocibus hac illac

selectis, Christi historiam contexuit, pietate magis quam arte laudanda.

Conclusio.

Hi porro lusus poetici, aliisque eiusdem generis sive in litteris, sive in verbis, sive in metris, sive in versibus, sive in carminibus quamdam habent utilitatem: potest enim liquido ex eis agnosciri antiqua orthographia. Ad hanc dignoseendam multo potiora sunt testimonia scriptorum in lusibus litteratis, quam testimonia sculptorum in inscriptionibus etiam coaevis. Nam inscriptiones prodeunt persaepe e viris imperitis; lusus vero litterati manant iudicio doctrinaque virorum liberaliter eruditorum. Qui licet interdum sermonis ac logices regulas laederent, tamen in observandis orthographiae legibus ambitionis erant. Eorum scripta, cum antiquissimo Vergili codice Mediceo Laurentiano et cum paris antiquitatis codicibus collata, mirifice consentiunt. Propterea, auctorem de quo praecipue egimus non « Porphyrium », ut vulgo fit, sed « Porfyrium » potius scribendum apparet, ipsiusmet fide, qui Cap. XXI nomen suum ita exaravit.

I. CLERICO.

QUANTUM PRAESIDI A GRAECIS LITTERIS INGENIA MUTUENTUR.


I.

NON mediocrem avitae gloriae labem inu-
rere illi videntur, qui, maiorum vestigiis
neglectis, ad optimarum artium metam pree-
postero tramite enituntur. Adolescentium enim
in nobilissima studiorum palaestra decertan-
tium dignitati consultum satis et provisum
putant, si tenerae mentes a severiori sapientia
revocatae inanum cognitionum noxia dulce-
dine detineantur. Per multis preetereas gravis
insedit opinio, crescentis ingenii aciem hebe-
scere, si illis, quibus utimur, preeceptis im-
buantur, oleumque et operam in graecis litteris
tum tradendis, tum percipiendis absumi. Horum
itaque querelis in dies iteratis occurrere, et
hellenicam dignitatem a contumeliis obtrectan-
tium brevi heic vindicare decrevi, simulque
evincere, quantum graecis litteraria res publica
debeat.

Ac primum ab hellenicae dignitatis oso-
ribus quaero, quaenam, ex iis disciplinis, quae
in communi hominum usu versantur, non sum-
mopere huius linguae praesidio iuvetur. Num
theologicas, aut illas facultates, quae in veri
inquisitione, aut in naturae viribus expen-
dendis immorantur, num eloquentiam, et poe-
sim proferent? At in istis non mediocre atticae
sapientiae lumen effulget. Singula primoribus
labris delibemus. Age vero ad illam scientiae
principem, et magistrum, Dei ipsius nomine
co honestatam incumbe, eamque hellenicae eru-
ditionis ope destitue; nonne omnia quaestio-
nibus obvoluta, laqueis irretita, tenebris ita
offusa reperies, ut quo pacto hostium iacula ef-
fugias, haereticorum ictus retundas, eosque
fidenti animo aggrediaris, tibi clypeum en-
semque deesse fatearis? Quam saepe perduelles
isti arma ex graeca interpretatione surripiunt,
quibus veterem doctrinam labefactare nitun-
tur! Quis nisi in christianis fastis hospes igno-
rat, quas clades orientalibus oris ariana lues
intulerit, quot miseri a recto tramite aber-
rarint, quotque antistites hac sorde inquinati
eiusdem calamitatis asseclas greges ad inte-
ritum, exitiumque pertraxerint? In quo, sodes,
omnis quaestio inter Nicaenos patres con-
scriptos agitata versatur, nisi in discriminione
inter ὁμοιστιον, et ὁμοιστιον, qua extrema voce
utendum Ariani pro aris focisque dimicabant,
ut Deo filio eamdem divinam naturam dene-
gantes omnem penitus fidei cardinem revel-
lerent? Quis siccis oculis referat, quam atroci
vulnere communis omnium nostrum parentis
ecclesiae sinum confoderit haeresis Nestoriana?
At tota in accentus collocatione consistit. Do-
rotheus enim episcopus impiorum antesignanus
una cum Anastasio affirmabat, verbum Θεοτοκος
efferri cum accentu in secunda syllaba, tune
enim Dei filiam designat, non vero in penul-
tima, tunc Dei parentem nuncupat, ut hoc Vir-
gini decus abnuerent. Quot turbas in concilio
Traiecti convocato inter germanos, gallosque
pontifices excitavit in scititia discriminis inter
προσκύνειν venerari et λατρεύειν pie colere,
quum quaestio de imaginum cultu incidisset?

Iamvero si romani pontificis auctoritas, et graecae ecclesiae cum latina coniunctio sit iuxta florentinam synodum definienda, ecquis huius linguae expers tuto poterit, quid sentiat, proferre? Quot praeterea errores aut interpretum incuria, aut dolo malo irrepentes hac face innotuerunt, quae vividiorem tum historiis, tum sacris litteris lucem exhibuit? Omnim sa- pientium consensione verum evincitur, quod affirmat Bollandus, Basilii voces de Evagrio Antiocheno perperam intellectas summum hi- storicum Baronum in fraudem induxisse. A meo munere abesse reor in quaestiones illas hellenicas ingredi Theodoreti testimonio iamdiu compositas, qua aetate rerum potitus fuerit Constantinus, aut illos perstringere, qui Iulii pontificis verba aliter intellexere, cum de tumultu in Antiochena synodo excitato quereretur, in qua Athanasium antistitis honore deicerunt. Quid plura? Si absolutissimum illud exemplar expetas consulere, quod a LXX nomen mutuatur, nonne tibi erit ad graecos confugiendum? Quis vero tot religionis duces, et magistros qui graece scripserunt, queat referre, qui studium omne, et ingenium ad sacras litteras, et dogmata evolvenda adiunxere, quorum nomina Nicephorus Callistus ordine recensuit? Quant laboris est in album digerere concilia, quae Ephesi, Antiochiae, Byzantii, Nicaeae, Caesa- reae aliisque in urbibus convocata, tum eruditio, tum sapientia, tum numero patrum conscriptorum floruer? Iamvero quo risu sacris addictos viros impii non carpunt, cum subdole ab illis quaerunt, quid sibi velit haec aut alia vox, quam quotidie, dum divina res peragitur, usurpant, qui sensus illis graecis verbis su- biiciatur, quae inter diurnas preces plus vice simplici iterantur? Haerent profecto, se torquent et ne primoribus quidem labris se libasse hellenum fontes fatentur. Probro istis sine controversia dicitur, quae toties usurpant, dum sacris operantur, verba ignorare, et teterrimis hostibus religionis contumelias, et convicia in eam evomendi ansam suppeditant. Quorecica in sacras disciplinas incumbentes singulare praesidium a graecis litteris mutuari est in comperto.

A. ANGELINI.



ELISABETH IBERORUM REGINAE CENTENARIA COMMEMORATIO.

IBERICI regni conditricem Castellae Leonisque regnum reginam Elisabeth, quam « catholicam » historia dixit, Iberus omnis populus sollempni mox ritu commemoravit. Idque iure; nam inter mulieres heroinas nobilissima pariterque summa gloria cumulata Elisabeth refulget iustitiae laudibus et virtutis.

Medio xv saeculo regalis foemina a Ioanne II rege Hispanorum atque ab Elisabeth Lusitanorum regina ortum duxit, quae pietatem atque fortitudinem ipsa filiolae prima a pueritia edocuit. Arabus quidam scriptor eam narrat uti palmam nobilem atque erectam, eiusque vultum pallidum dicit, et veluti hyacintheum, quem affectus omnis veluti rubore suffuso fucaret.



S. Augustinus, Occidentalis Ecclesiae doctor.

(Ex tabula murali IOACHIM PAGLIEI).

Res publicas gerere brevi addiscit adolescens, dum Henricus IV frater de regno decertat, atque contra ius in ipsam sororem arma infert, ut regnum ei eripiat et filiae cuidam sua tradat. Sed obstante populo id assequi non valuit, ita ut Elisabethae nuptias concupire coeperint et Lusitanus rex et Aloisius XI Gallorum et Aragonensis princeps, quem illa tamen praetulit et secreta pactione sponsum elegit.

Itaque anno MCCCC LXXIV Elisabeth atque Ferdinandus utrumque regnum Leonis atque Castellae univerunt ut in communes patriae religiosique inimicos coniunctas armas inferrent. Iberia enim summis malis laborabat: Arabes Hispalensium regnum adhuc occupabant, eorumque factioni Iudeorum plebs maxime favebat. Optimates legis imperiique intolerantes regem omnino spernabant celebri illa formula eligentes: « Nos qui pari virtute quam tu sumus, maiori vero potentia, te regem facimus nostra ut iura vindices, ut prae omnibus unus sit qui magis aliquantulum possit ».

Ximenes autem vir purpuratus, callidissimus reipublice gestor, Elisabeth sustinuit eiusque consilio usa sui regni fata instaurare non du-

bitavit. Leges, iura, arma omnia restituit, utque optimatibus obsisteret sodalitatem a Sancta Fraternitate dictam (*Santa Hermandad*) posuit inter veteres christianos, ut sese vicissim ab iniuriis populares tuerentur.

Quibus perfectis, atque postquam pugna ad Taurum perduellum copias fudit, in Arabum potentiam delendam omnino accessit, et Granatam urbem obsidione cinxit. Ipsa insidens equo ante equites Calatravensis Ordinis crucis signatis copias praecebat, unaque cum ea Gonzalus ille Cordubensis, magnus qui dux appellatus fuit, exercitum ducebat.

Circa Mauritanorum oppidum Sanctae-Fidei nova quasi urbs munitis deductis regina condidit, et longam post obsidionem Granatenses copias in ditionem accepit anno MCCCC LXXXII. Ea in urbe peregrinus quidam Ianuensis ad eam accessit, auxilium et pecuniam ad novum facinus expostulans, quae benigne ei largita regina est, modumque dedit quo novum ille mundum patefaceret: Christophorus enim Columbus ille erat.

Hicce peractis, ad fovendam Iberorum unionem Elisabeth manus admovit, simulque ad



S. Athanasius, Orientalis Ecclesiae doctor.
(Ex tabula murali CAESARIS CAROSELLI).

dilatandam suae gentis gloriam praeter regni fines, quod anceps opus praeclaro modo ipsa inivit. Quum itaque obiit anno M D IV ab omnibus subditis funus eius defletum est, maxime vero a coniuge Ferdinando, qui eam brevi est sequutus. Regni haeres Ioanna illa « amens » dicta exstitit; nullus enim erat masculus superstes. Nam Ioannis filius obierat, pariterque soror eius Margarita, Lusitanorum regi nupta. Verum regni gloria ita erat auspicata, ut amantis regnum nihil inde detraxerit, filiusque Ioannae, Carolus, ordine Vimperator, maximum sua aetate imperium adeptus sit. Pronepos Elisabeth deinde Philippus II Iberorum potentiam, capta Lusitania, ad verticem extulit.

Quum moritura Elisabeth esset, flentibus adstantibus commendabat ne corporis valetudinem potius quam animae sibi impetrarent; quum mortua est, eam iam veluti exemplum iustitiae, virtutis atque pietatis suaequa gloriae conditorem omnes Iberi venerantur. Reginae cineres invicti Granatensi in cathedrali templo quiescent, atque iuxta eos ipsius Ferdinandi regis ossa recondita sunt. Verum memoria tantae foeminae in animo Iberorum om-

nium reposita fuit semper, eiusque nunquam Hispana gens obliviscetur; virtutum enim excellentissimarum exempla, pietatis, animi demissionis, religionis, regina prodidit. Ecquid iam? Americanus historicus Prescottius, eam gubernandi arte magis quam Elisabeth Anglorum reginam valuisse iudicat. Quodsi tantae sapientiae virtutum laus insignis superaddatur, Iberiae reginae recordatio longe puriori splendore in oculis omnium praefulgebit.

Sit itaque eius commemoratio Hispanis novorum fatorum auspicio; gentem enim, quae tot ac tanta facinora in historia complevit, restitu atque resurgere, si sapientia et concordia non desit, omnino opus est. Haec vota Latini nos pro Latinis fratribus ad caelum tollimus.

DE CATHOLICAE ECCLESIAE DOCTORIBUS IN LATERANENSI BASILICA EFFECTIS

Alias in *Voce Urbis* picturas praetulimus, quibus Lateranensis basilicae absis munificencia Leonis PP. XIII recens condecorata fuit;

hodie tabulas praebere iuvat, illic pariter collocatas, Christianae Ecclesiae doctores effigientes, duos ex Orientali, prout vulgo dicitur, ecclesia, Crisosthomum et Athanasium; ex Occidentalibus duos, Ambrosium atque Augustinum; quorum primum Dominicus Tosti effinxit, alterum Caesar Caroselli, tertium Salvator Nobili, Joachim Pagliei quartum.

Inter omnes constat doctoris titulo nonnullos Ecclesiae Patres honestatos esse, quod doctrinas edidissent approbatas atque plurimorum gratiam adeptas, sive etiam quod strenue aliquod Fidei caput defendissent, vel errorem aliquem refellissent. Inde factum est ut passim cognomenta doctoris nomini adderentur, ea scilicet quae praecipua merita indicarent, quibus magistri illi doctrinae effulserunt. Ita Alexander Hales doctor « irrefragabilis » nuncupatur, Thomas Aquinas « angelicus »; Bonaventura « seraphicus », Ioannes Duns Scoto « subtilis », Raimundus Lullius « illuminatus », Rogerus Bacon « mirabilis », Ioannes Gersonius « christianissimus », Dionysius Cartusianus « instans », etc.

DE INDORUM VETERUM ASCOETIS.

MONACHOS haud nostra tantum religio habuit vel habet; sunt enim et Turcae monachi et Indi, et inter Brahamae fideles plurimi. De Islamicis monachis unum tantum animadvertisimus, post prophetae mortem eos duxisse originem, eorumque vivendi genus christianorum religiosam vitam esse imitatum, iis tantum mutatis, quae Islamicam decebant fidem.

Brahaminenses vel Bouddhani vel « fakiri » qui dicuntur, monachi inter Indicas gentes multas et frequentes habent aedes; at ipsorum statuta post antiquiore aetatem late immutata noscuntur. Inde vero non argendum eorum mores christianorum monachorum in dominus esse iniecos.

At fide digni testes enarrant, tum vivo in terris Christo Domino, tum diu ante eius ortum in carne, nonnullorum deorum cultum suos habuisse asseclas delectos, ascoeticæ vitae deditos. Id tamen non mirum: nam religiosorum vitam verae tantum fidei privilegium esse nemo asserat, quum naturalis quoque religio eam quodammodo suadere valeat.

Potest enim homo certum experiri melioris vitae desiderium, quod sequutus Deo verius adhaereat, arctiusque Illi devinciat. Non omnium profecto haec vota sunt; sed nonnullorum tantum lectissimorum virorum, quorum in animo non vitiis obruta ea omnino fuerint.

Quum hisce votis falsa fides pandit viam, insolita ea facit atque abnormia, non tamen abducit. Eamdem enim haec consilia sortem nanciscuntur quae contingit ritibus et formis religiosis in naturae religione vigentibus, ut sacrificii forma atque deprecationum, quae, quoniam magis ab antiquissima religione dissentiant, eo abnormia magis et aberrantia fiunt.

Quod autem nos attinet, Indorum ascoetae antiquissimi sunt, et absque dubitatione prae ceteris investigatione digni. Brahaminica atque Buddhica fides favere immo eximie ascoeticis

moribus videtur. Sed hi monachi a christianae fidei religiosis sodalibus ipsa vitae vivendae mente plerumque discrepant. Nostri enim monachi e solitudine brevi exeuntes apostoli facti sunt ut suam fidem per Asiam perque finitimas insulas propagarent. Indicus ascoeta contra ad perfectionem contendit suam, quam tamen alias omnino a christianis monachis intellegit atque prosequitur. Nulla enim caritas in eo est, qui una superbia motus sibi tantum vivit; quumque sive in mentis, sive in corporis cohibendas vires et compescendam omnem vitam intendit, id facit cautum, ut quam minimo licet dolori obnoxius beatiorem degat vitam.

Quaestio autem si proponatur unde huiusmodi ascoetismi formis primae origines effluxerint, fatendum est parum tutam responsionem colligi posse; documenta enim ad rem per pauca fide digna supersunt.

Certum est tamen Christi aequales Indorum monachorum habuisse notitiam. Ipse enim Magnus Alexander eos permultos in Indico bello agnoverat, eiusque historici Megastenes, Aristobulos, Onesicritos memoriam rei servarunt, quos Strabo enucleavit.

De Garmanis atque Brachmanis diu Megastenes disserit, quorum philosophorum existimatio plane summa erat. Illi permultis orationibus ad selectum munus matris ex utero parati, praecclare erudiebantur. Maturam vero aetatem adepti sacros lucus incolebant, doctos sermones audiebant, continentiam servabant, neque carne neque carneis cibis vescebantur miserrimisque stratis ad cubandum utebantur. Eorum vero meditationum atque perfectionis assequendae una causa mors erat, in quam considerandam insumebant vitam. Paupertas tamen minime eos impediebat quominus suorum bonorum dominium retinerent, pariterque trigesimo ascenos anno exacto soluti ad vitam redirent atque liberi tot ducerent uxores, quot esset arbitrium.

Garmanorum autem similis omnino vitae institutum erat. Qui per silvas pariter viventes, arborum corticibus induebantur. Caste coercentes corpus, vino abstinebant, sed herbis tantum et silvestribus fructibus vescebantur. Ut corpus ad laborem alerent, rigide exercebant. Mulieres quoque cum eis vivebant, variisque artibus sese applicabant, medicinae, neficiis, aruspicinae et similibus, atque a rege simul et populo honore magno habebantur. Nonnulli stipem quaerentes vagam ducebant per oppida vitam.

Aristobolus multa enarrat de duabus, quos ipse Taxilum ad urbem vidi. Discipuli eos comitabantur nonnulli, mellitis panibus sustentabant vitam, mercatoresque ut ex sua merce iiseligerent vestes sinebant. Alexander eos ad mensam vocavit, quumque alter ex iis regem sequutus esset, vitam rigidam brevi dimisit uxoremque habuit et liberos.

Gymnosophistas Onesicritos descriptis quomodo viverent. Qui legatus ad eos quum esset missus, quindecim in deserto invenit. Nudi erant; vario quidem modo singuli iacebant, quem immobiles ad occasum solis perstabant vel si imbres deciderent, vel si torreret sol patientes; nocte domum redibant.

Ex iis unus, nomine Colono, Alexandrum in Persas usque sequutus est, ubi mortem sibi rogum descendens paravit.

DE NOSOCOMIORUM ORIGINE.

SAECULIS XII et XIII, aetatis quam dicimus medium, quum Franciscus et Bernardus, aliique insignes pietate viri floruerunt, nosocomiorum certa constitutio referenda est, locorum scilicet ubi humani corporis dolores adamussim curarentur. Quae quidem institutio nulla profecto esse antea potuit, dum pagana religione et humanitate orbis viveret, cuius nulla caritatis lex erat aut verbum, qua non antea edocti homines sunt, quam Christus praeceptum edixerit: « diliges proximum tuum sicut te ipsum ». Neque primis Ecclesiae saeculis dum cruenta pro fide pugna martyres enecantur, tam uber caritatis fructus enasci poterat, quamvis et Diaconi essent et Diaconissae, qui et pauperum pariter et aegrotantium curam gererent in Ecclesia. Sed postquam Constantini edicto Christianam fidem profiteri lieuit, seniorum orphanorumque aegrotantiumque hospitia passim iam condi coeperunt ubique. Nam ab anno usque ccclxxx conditam Romae nosocomii speciem a Fabiola matrona romana scimus, quod a Parthis ad ultimos usque Britannos innotuit. Apud Caesaream quoque in Cappadocia S. Basilius Magnus et ipse nosocomium condidit, quod imitati sunt et Ioannes Chrysostomus Bizantii et Hispanae Augustinus.

Brevi immo et ministrantium infirmis sodalitia coiverunt: nam Honorius III imperator in lege quadam *parabolano* memorat Alexandrino Episcopo subiectos, homines morti obeundae paratos. Haec enim aedificia prope Episcoporum domus vel prope templa surgebant, remque testabatur Julianus ipse Apostata ad Arsacium Galitiae praefectum de laudibus christiana caritatis scribens, ut paganos ad aemulationem adhortaretur; quare unaquaque in urbe nosocomia publico aere condi et ipse suadebat. Sed inter barbaricos incursus nosocomiorum notitiae deficiunt ad Carolum usque Magnum, qui saeculo IX ineunte legem condidit, ut in dioecesis omnibus nosocomiorum aedibus canonicus ex cathedrali capitulo praeesset. Saeculo XI, dum orbis universus Christi lege renascitur et Crucis bella geruntur et civitates liberae fundantur, nosocomia quoque, caritate innovata, late crescunt.

Statuta eorum et leges finem ostendunt et mentem, quibus conderentur. Regula princeps ea erat, quam equites hospitalis ordinis S. Ioannis Hierosolymitani profitebantur, quem crucisignati milites ad peregrinos et aegrotos fovendos constituerant. Monastica vita hi vivebant, iuxta regulam S. Augustini. Iacobus Vitriensis, Acrensis urbis Episcopus, medio XIII saeculo, eorum vitam narrat. Sodalitates enim eorum perplures esse dicit, regulam vero Augustinianam omnino, vestes religiosas, vota evangelica de paupertate, castitate, obedientia, homines seiunctos a mulieribus, canonicas horas simul recitatas; praeterea Sacram Scripturam inter coenandum eos perlegere, ignorantes, infirmos

divina docere, impatientes solari, a sacerdotibus sancta officia in sacellis celebrari coram aegrotorum lectulis, eisque sacramenta omnia ministri, mortuos denique ab iis sepeliri.

Paupertatem et abstinentiam arctissime servi leges nosocomiorum praecepit iubebant; nam ut loquebantur Hierosolymitana statuta, « dum infirmus et pauper vestibus et cibo eget vosne qui eum hospitio accipitis luxuriose vivetis? » Iubebant quoque infirmum aut pauperem vix ingressum hospitium sua peccata confiteri, deinde communione sacra refici, postea ad lectum duci. Cibum ei cum caritate afferendum suadent, pauperesque dominos loci vocant. Dominicis diebus vero post cantum Epistolae et Evangelii supplicatio per nosocomium ducebatur et infirmorum lectuli aqua lustrali circum aspergebantur. Pariter lex erat ut infirmis, quidquid petiissent, traderetur, dummodo ne valetudo eorum damnum pateretur; unde fabula de Saladino rege orta est. Qui narratur Hierosolymae sub aegrotantis veste in nosocomium acceptus sibi pedem equi Magni Magistri petiisse. Enecatur equus nobilissimus, afferitur pes, tantaque liberalitate Saladinus percusus, sese revelat.

Patientia adstantibus ministris maxime leibus commendatur; de cibis multa cavitur, optima vero de lectulis ac de lintearia re. Infantibus et puerulis nonnulli semper straticuli parati erant.

Splendida saepe erat aedificiorum facies et ornatus, statuis divites saepe aulae ut aegrotantium oculi laetificantur; coquina et vitrinum et aquarium remotis in aedibus collocabantur. Numerus autem recipiendorum aegrotantium plerumque non praeferiebatur; domus enim, - dicebant leges, - pauperum est atque idem omnes ius eam incolendi habent. Quinimo ex multis nosocomiis ostiarii interdum mittebantur ut per urbem aegrotos quaererent, quos suum ad hospitium adducerent.

Distinctae vero semper erant leprosorum aedes, quae Lazari domus vulgo appellabantur. Sed leprosis nulla erat medicina, quocirca ad id tantum eorum domus constituebantur, ut a reliquo populo seiungerentur, ne pessimum contagium diffunderetur.

Amentium tantum hospitia perraro condabantur; mentis enim morbi non ita frequentes apparent ut hodie accidit; quod si qui furentes essent, ferrea lege heu! in vincula coniecti miserrimam vitam trahebant.

DIARIUM VATICANUM.

(Die xxI mens. Ian. - d. xx mens. Febr. a. M DCCCCV).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui cuiusque munieris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Nariskine dynasta, Russorum novus minister apud Apostolicam Sedem; Hyacinthus Cornier, Ordinis S. Dominici Procurator generalis; Romani Patres a Marco Antonio Columna principe Urbano Pontificio Solio adstante coram ad ducti; Berliere doctor, historicae Belgarum academie moderator; Aloisius Ceschi a S. Cruce comes, eiusque filius; Placentini atque Bergomenses viri cum suis Episcopis; Bruno Chaves dynasta, Brasiliae apud

Apostolicam Sedem administer; municipiorum Siculorum actores plures; Victorius De Hein dynasta, Austrorum Hungarorumque Caesaris a consiliis intimus, Carniolae gubernator; Constantinius Radzivill princeps.

Pontificiae electiones.

JOSEPHUS FORNARI, iuris atque litterarum doctor, Sodalitati Petrianae e Catholica Italorum Iuventute praepositus, in commentario nostro redigendo iam ab anno MDCCIC primas agens, *motu proprio* SS^mi inter Pontificis cubicularios ab ense et clamyde honorario munere adscribitur.

— Hieronymus Roller inter antistites Urbanos adnumeratur, et a Secretis S. C. de Propaganda Fide pro rebus Orientalibus deligitur.

— Raphael Scapinelli di Leguigno, antistes Urbanus, Propraefectus sacrarum aedium Apostolicarum dicitur.

Vita functi viri clariores.

— Die v mens. Februarii Romae obit Hilarius Lepidi Passerini decanus antistitum in consilium Principis adlectorum ad caussas rerum iudicatarum dirimendas.

— Die xix Aloisius Pericoli antistes Urbanus, Mensae Publicae P. M. Index supremus (vulgo « Revere ndae Camere Apostolicae Auditor generalis »), vir rei publicae atque privatae gubernandae peritissimus. Natus erat an. MDCCCXXVII.

Varia.

Die xxix mens. Ianuarii Pius PP. X in Xystino sacello excēsum virum Iacobum Radini Tedeschi Episcopum Bergomen. sollempni ritu consecrat.

— Die iii mens. Februarii in aedibus Vaticanis « Congregatio praeparatoria » habetur ad disceptandum de duobus miraculis, quae a Deo patrata feruntur intercedente Beato Pompilio Maria Pirrotti, Sacerdote Professo Congratis Scholarum Piarum.

— Die xii in Consistorio aula coram SS^mo promulgata sunt decreta de virtutibus « in gradu heroico » Ven. Servae Dei Magdalene Sophiae Barat, Institutricis Congregationis Sororum a Sacro Corde Iesu.

ANNALES.

Russici motus.

Ingens ille operariorum numerus Petropoli ante Caesaris aedes prolatus, quum minarum ac seditionis formam sumpsisset, repressionem excitavit, quae tristem exitum habuit; non eum tamen quem primo nuncii arte vulgati protulere, unde apud omnes populos acriter in Russicum imperium conclamat. Quae enim deinde cognita sunt, non evertendarum rerum populari desiderio motum tumultum satis do- euerunt, sed a factiosis potius hominibus illis, qui ad suam imperii cupiditatem explendam misera plebe utuntur, eamque trucidandam obiiciunt. Quamquam enim Caesaris decreto, quo opificibus agricolisque providebatur, satis pro tempore cautum esset ut rei publicae ratio liberalior fieret, rem tamen irritam reddere magistratum regisque contemptores vi voluerunt, sive quod dominatum in plebem haud amitterent, sive quod specie ei mostrarent, sua, non gubernantium opera, si quid boni fiat, impo- situm. Quum autem stulti contra spem vidissen Caesarem tuto animo in reformationes propositas incedere, neque a via aberrare, imo operariorum legatos auscultasse iisque esse pollicitum desideriis quae iusta essent se obsecun-

daturum, ad facinus aliud processere Sergium magnum ducem, ipsius Caesaris patrum, nefarie interimentes.

Haec paucis Russorum fatorum condicio; neque infitior civitatis constitutionem eam non esse, qualem renovata tempora postulant; ut vero radicitus statimque immutari possit contendeo, crudelemque rationem exsecror.



Iaponicum bellum.

Iaponici belli eae vices elapsa mense fuerunt, unde hostilia maiori animo resumpta co- niici liceret. Russi enim in Iaponios pugnarunt, eosque ad San-de-pu fuderunt; vicissim hostes, quum auctis copiis rediissent, suum iterum op- pidum reddiderunt. Interea in acies quoque Grippenbergii ducis, quae Hun-ho flumen transierant, impetum fecere easque verterunt in fugam. Quo facto Russorum ille dux munere suo privatum dictant, quod contra Kuropatkini summi imperatoris mandata commisisset proelium, atque ita effecisset ut Russorum damna fierent graviora: certe nunc domum reversus est.



Balkanica res.

Potius quam in cives Graecos aggressiones, quae passim Balkanicam regionem pessum- dant, commercii foedus recolamus, a Serbis cum Montis Nigri incolis sanctum; pacis pi- gminus quod civibus omnibus illis ex animo omi- namur.



Argentinæ civitatis seditio.

Quod quidem votum Latinis gentibus infe- riorem Americam incolentibus volumus renova- tum. Nunc enim Argentina civitas rebellione vexatur: milites dicunt in gubernium insur- resisse, alterum a preside Figueroa Cordubae captivum duxisse obsidemque tenuisse; qui tam- men ad praesidem forti animo scripsit ut, nulla ratione habita sortis ipsi reservatae, firmius in seditiosos procederet. Addunt Quintana praesidem revera efficaciter egisse, utque incen- dium restinguere valuisse. Quousque tandem?



Varia.

In Scatinavia peninsula consularis quaestio inter Suetiam et Norvegiam, de qua tot annos disceptatur, in peius vertere apparuit, quum pactiones initiae inter duos populos ut ad con- cordiam tandem devenirent abruptae improviso sint. Oscar autem rex, ob gravem aetatem atque infirmam valetudinem civitati gubernandae in re tam difficili impar factus, pro tempore impe- rium in manus haeredis Principis renunciat.

In Civitatibus Septentrionalis Americae fo- deratis senatus aliquo modo ius praesidis sibi vindicare visus est, in arbitrii foedera cum exte- ris gentibus mutationes inducens, quae omnem vim ipsis adimerent. Praesidem vero nun- ciant senatus opus ratum minime habiturum.

In Mauritania Gallorum administer libera- liter exceptus est a Turco imperatore, cui exposuit Gallica consilia de rebus illic innovandis, ad quae legatio, cui ipse praeest, missa fuit.

In Italia denique cum omnium plausu Vi- torius Emanuel rex propositum suum aperuit foedus inter omnes cultas nationes iciendi ut agriculturae agricolarumque sorti unica lege provideatur.

PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS.

In Anglia de portoria re vehementer disceptatum. Deinde regia oratione novi coetus labores inaugu- rati sunt.

In Austria oeconomicis legibus pluribus latis, exceptorum atque expensarum ratio habita.


In Gallia summa expensarum pro coloniis adpro- bata est. Post acrem disputationem de ecclesiastica re, tandem votum a popularibus emissum, ut quo citius lex de rebus civilibus ab ecclesiasticis disso- ciandis feratur.

In Germania approbationi subiecta commercii foedera, quae gubernium cum Italis, Russis, Austro- Hungarisi, Helvetiis, Rumenis, Serbis atque Belgis conclusit.

In Hispania quum Azcarraga dux, primus regni administer, a munere cessisset, Villaverde, aerarii administrandi peritissimus, suffectus a rege est.

In Hungaria quum comitia administris haud fa- vissent, Tisza, collegii praeses, a munere abdicavit.

In Lusitania nova comitia iis qui progressui fa- vere dicuntur propitia cesserunt.



AENIGMATA

A FR. PALATA PROPOSITA.

I.

Aestas cum torret terras, Cerealia grana *Arcia*
excipio paleis exentienda suis.

Insere litteram: ripas circumvolat ales *Ardea*
exitium genti squamigeraeque parat.

II.

Mene legis recte? Iubeo saltare: choreae *Saltus!*
accingas agiles, lector amice, pedes!

Mene legis retro? Procerus, membro torosus
fio gigas humeris sustineoque pulum.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis inter-
pretationem ad Commentarii moderatorem
miserint intra menses duos, unus, sortitus,
gratis accipiet I. B. FRANCESIA comoediam
latinis versibus scriptam, cui titulus:

SATURIO.

Aenigmata an. VII, n. XII proposita his respondent:

- 1) Silva, Silvia; 2) Rudis.

Ea rite soluta miserunt:

F. Arnori; Io. Galbiati, *Mediolano*. — Petrus Tergestinus. — V. Starace, *Neapoli*. — Io. Walter, *Neo-Eboraco*; Cam. Straschill O. F. M., *Villaco*. — Em. Gschwind S. P., *Praga*. — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — Herm. Gini, *Aquis Taurinis*. — Car. Stegmüller, *Sabaria*. — Alois. Capelli, *Senis*. — Collegium Scholarum Piarum *Stellae*. — Senior Astensis. — I. A. Ouderman, *Traiecto ad Rhenum*. — Fr. Do- stal, *Nechanice*. — Ant. Tafani, *Florentia*. — Princ. Gordon, *Mancunio*. — Ferd. Can. Ferrari, *Guastalla*. — Call. Amal- berti, *Albio Intemelio*. — Max. Kohisdorfer S. I., *Chyrovio*. — Ios. Bock, *Bryozov*. — Ab. Ballerini, *Novocomo*. — Am. Robert, *Marieville in Canada*. — D. Le Provost, *Briocen*. — Andr. Pápay, *Pruzsina*. — E. F. Curcan, *Terra Nova*. — I. M. Jaume S. P., *Moditiano*.

Sortitus est praemium

MAXIMUS KOHISDORFER,

ad quem missum est Fr. PALATA carmen, cui titulus

DIES CHRISTI NATALIS PRAEVIA.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

Sacra poesis seu Carmina in Sanctorum laudes qui Fracta Maiori Urbe aedibus Dei dicatis coluntur, auctore CARMELO PEZZULLO, Antistite et Proto- notario Apostolico. — Accedunt varia latina et italica edita et inedita ab eiusdem auctoris cala- mo. — Aversae, ex off. Francisci Fabozzi, MCMIII. La Immacolata Concezione. Breve storia di un dom- ma del P. SAVERIO MARIA LE BACHELET S. I. — Vol. 2. — Romae edid. Desclée, Lefebvre et Soc. (Ven. lib. 1,20).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Facis* Phil. Cuggiani.

Vox Urbis Commentarius

procuratores quaerit, qui apud exteris gentes atque in ipsis Italiae civitatibus magis magisque ipsum Commentarium diffundant; iisque amplam pro laboribus mercedem solvet.

Itaque qui rem sibi sumere posse credant, ubique sint terrarum ad ARISTIDEM LEONORI equitem, *Vox Urbis* commentarii possessorem atque administratorem (Romae, Via Alessandrina, 87) scribant, qui sua vice commercium epistolarum cum ipsis inibit, atque de re omnes explicationes suppeditabit. Iuvenes praesertim invitantur, qui latinam linguam callentes inde sedulitatis suae emolumenta percipere cupiant.

IOCI.

Quid in urbibus mirabilius?

In urbem... Quid de nomine? Nihil interest; satis est illam inter insignes Italiae numerandam. Ergo resumam. In urbem quidam Apennicola venerat, senex homo et cordatus, cui patricius quidam, emptor nuperrimus montosi latifundi, fama probitatis motus, sua rezens comparata crediderat. Urbem numquam viderat, numquam venerat; tuendo, considerando singula nequibat oculos et animum explorare dum herus cum curru circumferebat ut pulchriora, et maiora admiraretur. Ad theatrum adduxit; voluit eum adesse choreis quibusdam solemnis. Plures post dies postulantem saepius dimitti dimisit, antea tamen rescire voluit quid magis illi visum fuisse mirabile. Cui senex bonus et catus: - «Plurima, here mi, ferme dixerim omnia; sed quae me isthic perculere potissimum haec sunt: feminas omnes pictrices esse quippe vultum coloribus fingunt; senes omnes tintores, quippe capillos et barbam atro nescio quo imbuunt; pueros nimis doctos, qui externas plures callent linguis, incuriosi suae». Numquid non recte miratus est?

○

Antropophagorum coena.

Probus quidam adolescens invitatus ad coenam cum propter auctoritatem invitantis recusare non posset adiit invitatus invitus. Rubebant chrystillini calices vino, suave halantes epulae argenteis lanceis ferebantur. Postquam prima cibis placata fames, sermones varii coepit sunt misceri, versari, sed omnes, vesana quādā rabie absentes viros feminasque carpabant quamvis illustres genere, moribus, annis, auctoritate, officiis, prudentia, sapientia. Stomachari adolescentes; mox animo auctus, assurgit, et a domino veniam abeundi petit. - «Ecce, - ille postulat; - numquid male te habes?» - «Haudquaquam, - respondit, - sed timeo ne proximi, quibus hic lacerantur carnes, carnibus vescar». Excessit; et fortasse inurbane fecit; sed exinde dominus cavit.

LIBRI RECENS EDITI.

La vita di S. Antonio abate narrata da S. Atanasio. (Versio Italica).
Costituzione politica del regno d'Italia.
Prosodia e metrica latina pel Ginnasio.
Metrica latina pel Liceo.
Metro degli inni del Breviario Romano.
Omilia di S. Basilio Magno ai giovani.
Omilia del medesimo sulla massima: Studia te stesso.
Omilia di S. Gregorio Nazianzeno sui Maccabei.
Omilia [del medesimo in morte del fratello Cesario.
Omilia di S. Giovanni Crisostomo nella Pasqua del 387.
Il libro della mortalità di S. Cipriano.
Della vita e degli scritti di S. Paolino di Nola.

Veneunt singuli libell. 0,55 penes doctorem JOSEPH. CLERICOMO Viverone in Italia.

Praeterea:

Geografia per il Ginnasio.
Le coniugazioni dei verbi italiani.

apud eumdem.

SUPELLEX AD RES DIVINAS.

Commentarii *VOX URBIS* administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad *VOCIS URBIS* administratorem (Romam, *via Alessandrina, 87*) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus quod de negotiis Ecclesiasticis esset; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanæ Ecclesiae « Congrationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

SATURIO, Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro Joanne Baptista Francesia et per Commentarii *VOX URBIS* paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Commentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

☞ IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO. ☞